

tutor ille jure priuari, quam parentes. A que eadem ratio est, si tutor alio justo titulo succedet, ut quia est avus, vel frater natu major, vel quilibet alius legitimo jure institutus. Quod si fingamus infantem omnibus his auxiliis destitutum, ad rempublicam, vel gubernatorem ejus pertinet illi de tutore providere, vel illius curam suscipere, et ideo respectu illius, eadem erit servanda regula, quæ respectu parentis, quamdiu parvulus est sub potestate vel gubernatione principis, aut tutoris infidelis; secus vero erit, ut dixi, si quacumque causa vel occasione subtractus sit de potestate infidelium.

9. *Primum dubium.* — *Respondetur.* — *Utriusvis parentis, si ambo infideles sint, consensus sufficit, ut puer, altero invito, baptizari possit.* — Duo supersunt dubia circa hanc doctrinam explicanda. Primum est, an requiratur consensus utriusque parentis, vel sufficiat unius, etiam si alter invitatus sit. Respondetur ad primum, si mater sit christiana ante conceptionem et partum filii, est certum posse et debere filium baptizari, per se loquendo, etiam si pater contradicat. Est res certa, quia partus, ut dicunt, sequitur ventrem; unde hoc ipso quod filius ex matre fideli et christiana concipitur, acquirit jus Ecclesia ad baptizandum illum, quia ille parvulus ex vi originis nascitur subditus Ecclesie, et hoc a fortiori constat ex juribus statim citandis. Secundum, si pater sit christianus, et mater infidelis, etiam poterit baptizari parvulus, consentiente patre, et renuente matre, quia parens est caput, et habet præcipuum jus in filium. Tertio, etiam si filius natus sit ex utroque parente infideli, si postea alteruter parentum convertatur ad fidem, illius consensus sufficiet, etiamsi alter contradicat, sive ille sit pater, sive mater. Ita colligitur ex cap. 2 extra de Convers. infidelium, ubi Gregor. IX statuit, patre converso ad fidem, illi esse assignandum filium puerum quadriennem, ut ab eo possit in fide christiana educari et institui; et idem fere statuerat Concil. Tolet. IV, can. 62, et habetur in cap. Judæo, cap. 28, quæst. 4, ubi dicitur, filios natos, tam ex patre infideli, et fideli matre, quam ex patre fideli et matre infideli, imitari debere in religione parentem fidelem, atque ita posse baptizari. Ratio autem in patre est facilis, quia ille est caput, et ad illum maxime spectat filii cura et gubernatio; de matre vero, quando tempore partus nondum erat fidelis, non est tam evidens ratio; est tamen

sufficienter probabilis, quia jus maternum fere est æquale paterno. Nam licet pater superet in causalitate, et in eo, quod est caput uxoris et totius familiae, tamen mater excedit, tum in certitudine, tum in eo quod mater plus confert de substantia sua ad filii generationem, majoresque dolores et labores pro illo sustinet; aliunde vero aliquid dandum est parenti fideli in favorem christianæ religionis, ut significat Gregor. IX, dicto cap., et in favorem etiam innocentie, et salutis ipsius parvuli. Merito ergo in hoc negotio præfertur jus illius parentis, qui fidem aut religionem christianam sequitur. Quin potius addo ultimo, etiam si neuter parens infidelis ad fidem convertatur, si tamen permittat filium baptizari, id satis esse, etiam si sola mater hujusmodi consensus præbeat, quia cum talis consensus sit in favorem religionis, et bonum et salutem filii, præferendus est. Nam etiam juxta commune jus, si filius alicui ex parentibus subtrahendus est, adjudicatur parti innocenti. Quid ergo mirum, si in hoc negotio, ubi parentes per se non consentiunt, et alteri eorum quodammodo adjudicandus est filius, dicamus, illius consensus esse, qui, quantum ad hoc spectat, innocens dici potest, cum solus illius consensus honestus sit et in filii commodum cedat? Hæc autem omnia, ut initio dixi, per se intelligenda sunt; nam per accidens accidere potest, ut non expediat baptizare filium, altero parente invito, propter periculum apostasie, vel alicujus sacrilegii, et ideo in eo casu curandum est, ut prius filius subtrahatur a cura et consortio parentis infidelis, ut tuto baptizari possit, juxta doctrinam Concilii Tolet. 4, c. 59.

10. *Secundum dubium.* — *Regula observanda.* — Secundum dubium est, cum dictum sit, hos infantes ante usum rationis non posse baptizari invitatis parentibus, posse autem statim ac ratione uti possunt, in quam ætate baptizari possint, vel quæ sit in hoc regula servanda. Quod dubium attigit hic Soto, et latius Catharinus in opusc. de infantibus Judæorum baptizan., qui recte dicunt, per annos seu tempus ætatis nullam posse certam regulam præscribi, quia neque ex natura rei definitum est hoc tempus, cum quidam homines maturius, alii tardius ratione uti incipiant. Neque etiam est taxatum hoc tempus jure positivo, divino aut humano; nullum enim extat tale jus, neque ostendi potest. Imo nec videtur hæc materia capax hujus determinationis, aut positivi juris, quia

agitur de remedio ad salutem necessario, cujus salutis per proprium consensum acquirendæ homo est capax, statim ac potest sua libertate uti, et non antea, in quacumque ætate constitutus sit. Igitur hæc sola videtur esse certa regula, quod cum primum homo pervenit ad eum statum usus rationis, in quo est capax peccati mortalis, jam tunc baptizari potest per proprium consensum, parentibus etiam invitatis, antea vero non potest. Ratio prioris partis est, quia qui habet potestatem peccandi mortaliter, jam est dominus suarum actionum, et perfecte liber. Item, potest se a Deo avertere; ergo etiam potest se ad illum convertere. Nam si non esset capax habitus seu positivæ conversionis, neque etiam esset capax privationis seu aversionis. Qui autem potest se in Deum convertere, poterit etiam libere in baptismum consentire. Et hinc etiam sumitur ratio posterioris partis. Nam qui non est doli capax et mortalis culpæ, non est etiam capax ad suscipiendam fidem per proprium ac liberum consensum; ergo nec ad recipiendum baptismum propria voluntate. Ad cognoscendum autem, an pervenerit parvulus ad eum statum et facultatem usus rationis, utendum est signis, et conjecturis ex experientia desumptis, et hominis prudentis arbitrio judicium ferendum est. Quod si signa non fuerint satis evidentiæ, tamen rem faciant dubiam, et aliquo modo probabilem, si necessitas non urgeat, expectari potest et debet commodior occasio, et major cognitio. Si autem necessitas urgeat, ita ut pensatis omnibus circumstantiis, ea occasio videatur necessaria ad salutem parvuli, tunc in casu dubio inclinandum est in favorem religionis, et fidei christianæ, et spiritualis salutis ipsius parvuli, qui magis possidere censetur jus se tuendi, et animam suam, quam parentes possideant jus in ipsum; in casu autem dubio melius jus possidentis præferendum est. Quod etiam intelligendum est per se considerata ratione justitiæ, nam habenda est etiam prudens ratio christianæ religionis, et omnino cavendum, ne ita baptizentur hujusmodi parvuli, ut relinquuntur sub consortio parentum infidelium cum aperto periculo apostasie.

11. *Dubitatio.* — *Respondetur.* — Sed quid, si parvulus constitutus in ea ætate, in qua exhibet aliqua probabilia signa usus rationis, non tamen sufficientia, ut satis de libero ejus arbitrio constare possit, sed res sit dubia, et parentes infideles velint eum baptizare, ipse autem nolit? Soto indicat, eum fore baptizan-

dum, quia in casu dubii inclinandum est in favorem baptismi. Mihi vero oppositum verum videtur, tum propter rationem, quod in dubio melior est conditio possidentis; filius autem magis possidet se ipsum, quam possideatur a parentibus; tum etiam quia in eo casu ipsummet sacramentum dubium redditur, an sit validum, necne; nam si fortasse parvulus habet arbitrii libertatem, ipso dissentiente sacramentum erit nullum. Denique quia in eo casu est evidentissimum, et quasi per se conjunctum cum tali actu apostasie periculum; nam facile unusquisque recedit ab eo statu, quem invitatus suscepit, etiam si fortasse absque sufficienti judicio et rerum cognitione involuntarius sit.

## SECTIO IV.

Utrum filii infidelium jure baptizari possint, invitatis parentibus, quando ipsi parentes subditi sunt christianis principibus.

1. *Scoti opinio.* — In hac quæstione est opinio Scoti in 4, d. 4, quæst. 9, qui absque ulla distinctione affirmat, hos parvulos posse baptizari invitatis parentibus. Quam opinionem sequitur Gabriel ibi, quæst. 2, art. 3, dub. 5. Fundamentum eorum est, quia ad principem et superiorem spectat, sibi subditos coercere, et compellere, ut Deo, qui omnium est supremus Dominus, obediant. Sed hujusmodi infideles tenentur jure divino velle, ut filii baptizentur; ergo possunt ad hoc compelli a suis superioribus, et, si obedire nolunt, possunt ipsis invitatis filii eorum baptizari, vel in pœnam sui criminis, vel certe, quia ipsi principes tanquam legitimi superiores habent majus jus in filios subditos, quam ipsi parentes; et ideo nullam faciunt injuriam parentibus, privando eos jure patriæ potestatis, maxime cum ea abutantur in perniciem filiorum, et contra Dei præceptum. Sicut, si subditus male utatur rebus suis in perniciem reipublicæ, potest eis privari ab habente legitimam potestatem. Ex quo fundamento sequitur primo, hoc jus baptizandi hos infantes, juxta hanc sententiam non esse in singulis privatis personis propria auctoritate, sed in principe, vel quibus ipse potestatem concesserit. Probat, quia hoc jus oritur ex potestate jurisdictionis, seu coercitiva; hæc autem non est in singulis, sed in principe. Secundo sequitur, juxta hanc sententiam non solum posse, sed etiam teneri principem, per se loquendo, ad baptizandos

hos parvulos. Probatur, quia tenetur legitime uti ea potestate, quam habet in subditos. Dico autem per se loquendo, quia, ut ipse etiam Scotus observat, per accidens possunt principes abstinere ab usu hujus potestatis, si timeant futurum esse, ut inde majora mala sequantur, ut, v. gr., quod parentes occidant filios suos, priusquam subtrahantur, et baptizentur, aut si commode separari a parentibus non possunt, ita ut sine periculo apostasiæ, et sacrilegii baptizentur.

2. *Secunda sententia.* — Durand. — Durandi sententia approbatur. — Secunda sententia est Durandi in 4, dist. 4, quæst. 6, qui subdistinguit de hujusmodi infidelibus subditis. Nam quidam sunt subditi tantum civili subjectione, eo modo, quo alii fideles subduntur jurisdictioni regum. Alii vero sunt subditi, tanquam servi, qui omnino sunt sub dominio aliorum. De prioribus inquit, non posse eorum filios baptizari, parentibus invititis; de posterioribus vero affirmat, per se loquendo, et considerata justitiæ ratione, posse baptizari, quamvis moraliter censeat id non expedire, tum propter periculum apostasiæ; nam hujusmodi infantes, cum adoleverint, facile imitabuntur parentes suos, præsertim cum intelligant, ipsis invititis, fuisse baptizatos; tum etiam quia hoc modo vis quædam inferretur parentibus, ut vel fide converterentur ad fidem, vel certe filios suos occiderent, ne sibi subtraherentur a dominis et baptizarentur. Hæc doctrina Durandi mihi non displicet, quamvis Cajetan. hic, et alii Thomistæ aliter sentire videantur, quoniam D. Thom. indistincte negat, filios infidelium esse baptizandos, invititis parentibus. Ut vero rem totam distinctius explicemus et fundemus, oportet distinguere, ut sæpe insinuavimus, in hoc negotio rationem justitiæ, quæ pendet ex jure, seu potestate unius in alterum; et rationem seu obligationem religionis, ad quam spectat, ut sacramenta digne tractentur; et tertio loco adjungere possumus obligationem charitatis, ad quam pertinet cura spiritualis salutis proximi, quæ juste et religiosi adhiberi potest.

3. *Prima conclusio.* — *Objectio.* — Dico ergo primo: filii eorum infidelium, qui non sunt servi christianorum, baptizari non possunt, parentibus invititis, neque auctoritate privata, neque publica christianorum principum, etiam si parentes politice subditi sint temporali jurisdictioni christiani principis. Hæc conclusio sumitur ex doctrina D. Thom.

hic, et 2. 2, quæst. 40, eamque late defendunt Capreol., Palud., Cajetan., Soto, locis supra citatis, et Vict., Relect. de Indis. Et quidem, quod ad privatam auctoritatem attinet, præter supra dicta circa opinionem Scoti, probari potest ex præcedenti sectione. Sequitur enim ex ibi dictis, quia unus homo non est subditus alteri privato homini, etiamsi uterque eidem principi subdatur; ergo comparantur isti infideles ad alios concives privata auctoritate utentes, sicut comparantur infideles non subditi ad christianos principes; ergo sicut illorum filii baptizari non possunt a principibus, ita neque istorum a privatis personis. Unde etiam fit, idem esse dicendum de infidelibus subditis uni principi christiano, respectu alterius, cujus non sunt subditi, ut, v. gr., de subditis regis Hispaniæ, respectu Regis Galliæ, nam respectu illius non sunt subditi; et quoad hoc eadem est ratio de summo Pontifice, quia etiam ipse non habet directam jurisdictionem temporalem in hujusmodi infideles, ex eo quod summus Pontifex est; et si quos habet sibi subditos, id habet ut dominus et rex temporalis, cujus potestas quoad hoc non se extendit ultra suum gradum. Superest probanda conclusio, etiam respectu priorum principum. Et ratio illius a priori est, quia isti infideles, quamvis sint subditi christianis principibus, non tamen possunt eorum voluntate privari jure patriæ potestatis, quod habent in filios; ergo non possunt etiam filii eorum baptizari, ipsis invititis. Probatur consequentia, tum quia hic actus instituendi filium in religione, et dicandi illum Deo, maxime spectat ad patriam potestatem; tum etiam quia hujusmodi infantes non possent secure baptizari absque periculo apostasiæ, nisi parentibus subtraherentur. Si ergo illud prius esset licitum, etiam hoc posterius liceret; maxime, quia per baptismum subicitur homo jurisdictioni Ecclesiæ, et consequenter jure liberatur paterna cura in his, quæ ad gubernationem animæ spectant, quatenus juri Ecclesiæ acquisito contraria esse potest. Antecedens principalis argumenti probatur, quia licet isti infideles sint subditi, non sunt servi, ut suppono; ergo sicut retinent dominium aliarum rerum, ita etiam et jus naturale, quod habent in filios; ergo sicut non possunt privari aliis rebus earumque dominio, ita nec filiis, et jure quod in illos habent. Dicitur, non posse privari hoc jure ex sola voluntate principis sine legitima causa; posse tamen vel in pœnam, vel propter majus

bonum reipublicæ et aliorum subditorum, id juste fieri a superiori habente potestatem, sicut propter easdem causas possunt subditi privari aliis rebus temporalibus; hic autem utraque causa intercedere videtur, nam isti infideles abutuntur jure suo, quod in filios habent; ergo merentur illo privari; ergo possunt a principe superiori privari. Habet enim princeps potestatem regendi subditos in his, quæ ad honestatem morum pertinent; unde et cogere possunt ad ea quæ necessaria sunt ad salutem animæ, et contraria prohibere. Rursus, filii istorum infidelium non minus sunt subditi christiano principi, quam ipsorum parentes; ergo etiam pertinet ad hujusmodi principem providere quæ necessaria sunt ad commodum ipsorum parvulorum. Possunt ergo juste coercere parentes, si contra illorum salutem sua potestate utantur. Et confirmatur, nam princeps curare potest et debet, ut jura serventur illæsa; et quod majus jus minori præferatur; atque ideo quod, si potestas superior et inferior inter se dissentiant, subditus potius pareat superiori potestati, quam inferiori. Cum ergo in præsentis pater infidelis ab ipso Deo dissentiat, potest princeps efficere, ut divinum jus illæsum servetur, etiamsi necessarium sit parentem suo jure privare.

4. *Refellit objectio.* — Sed contra hoc est, primum, quia hæc omnia ad summum procedunt, in his quæ pertinent ad naturalem justitiam, et honestatem; non in his, quæ mere supernaturalia sunt; nam ad hæc non extenditur potestas hæc politica et humana, quia hæc ab ipsis hominibus proximam originem habet, media naturali ratione, et ideo excedere non potest per se ac directe res, quæ cadunt sub lumen naturæ. Unde in ordine ad supernaturalia data est hominibus alia superior potestas spiritualis et supernaturalis, quæ non ab hominibus, sed ab ipso Deo immediate manavit; lex autem baptismi et observatio ejus supernaturalis est; et ideo non pertinet ad humanam potestatem cogere ad observationem ejus. Quapropter sicut non possunt hujusmodi principes temporales cogere ipsos parentes infideles, ut ipsimet baptizari velint (ut contra Scotum latius ostenditur in materia de fide) ita non possunt efficere, ut eorum filii, ipsis invititis, baptizentur.

5. *Objectio.* — *Responsiones.* — Dices: etiam potestas, quam parens habet in filium, est mere naturalis; ergo non se extendit ad supernaturalia; ergo cum baptismus sit supernaturalis, est extra latitudinem hujus

potestatis, et consequenter non fit contra illam, etiam si filius baptizetur, invito parente. Respondetur, gratiam fundari in natura, et inde non destruere neque invertere debitum ordinem, sed perficere; et ideo, quamvis stando in pura natura, patria potestas absoluta non se extendat ad supernaturalia, tamen hoc ipso, quod hæc natura humana elevatur ad supernaturalia, suo etiam modo elevatur patria potestas, ut sicut ex mero jure naturali a Deo insito ipsi naturæ, filius, qui propria voluntate uti non potest, gubernandus est et consecrandus Deo auctori naturæ per voluntatem parentis, ita ex jure naturali ipsi gratiæ debet filius consecrari Deo auctori gratiæ per voluntatem parentis; eo vel maxime, quod non potest filius dicari Deo, ut est auctor gratiæ, nec sanctificari, nisi simul ordinetur ad Deum, ut auctorem naturæ; et ideo, si hoc faciendum est per voluntatem parentis, non potest illud prius fieri, ipso invito. Sed urgere quis poterit, retorquendo hanc doctrinam. Nam licet potestas regia, seu politica, sit humana et temporalis, et ita considerata in pura natura non se extendat ultra naturalia, tamen supposita elevatione naturæ, potest consequenter extendi ad supernaturalia, quatenus supposita revelatione et sufficienti propositione supernaturalium præceptorum, ipsa naturalis ratio dicat illis esse obediendum, et ideo qui eis non parent, non solum contra legem supernaturalem, sed etiam contra rationem naturalem peccant. Respondetur imprimis, non esse simile, tum quia jus paternum est mere naturale et intrinsecum ipsi naturæ, et ideo elevata natura, videtur necessarium, ut consequenter elevetur. Jus autem regium, quamvis radicaliter dicatur esse a Deo, tamen immediate est ab hominibus, et ideo non est ita necessarium, ipsum elevari et extendi ad supernaturalia; tum maxime, quia si filius baptizaretur invito parente, non posset circa illum fieri id, quod supernaturale est, quin læderetur jus patriæ potestatis in eo ipso quod naturale est, quia est veluti fundamentum ordinis supernaturalis. At vero e contrario, parens infidelis non admittendo baptismum, vel suum, vel filii, non violat jus regium, neque aliquod, quod sit mere naturale; nam licet fortasse peccet contra rationem naturalem, non tamen puram, sed ut admixtam ordini supernaturali. Adde (quod maxime omnia confirmat) principem temporalem non habere jurisdictionem seu potestatem ad puniendam vel coercendam omnia

delicta, sed solum ea, quæ sunt contraria communi paci et justitiæ reipublicæ; hic enim est finis et scopus hujus potestatis, sub quem finem non cadit baptismus, neque contra illum peccat infidelis subditus, qui nec se, nec filium suum baptizari vult. Non ergo possunt hi principes per potestatem coercitivam cogere hos infideles subditos ad baptismum suum, vel filiorum, sed ad summum poterunt eos cogere, ne abutantur potestate, quam habent in filios, per superstitiones vel sacrilegia evidenter contraria rationi naturali. Unde tandem confirmatur conclusio. Nam si hi principes habent hanc potestatem baptizandi filios subditorum invititis parentibus, vel hoc est ex natura rei, supposita tantum Christi institutione, vel est ex speciali concessione Christi. Primum dici non potest, ut ex dictis patet, quia hæc potestas nec est mere naturalis, neque habet necessariam connexionem cum naturali. Secundum etiam non potest cum probabilitate dici, tum quia hæc specialis concessio, nec ex traditione, nec ex Scriptura colligitur; quin potius usus Ecclesiæ contrarium indicat, quia nunquam Ecclesia consuevit hujusmodi baptismata permittere, quia ubi de speciali institutione Christi non constat, naturalia jura servanda sunt; tum etiam quia, si Christus Dominus talem potestatem Ecclesiæ concessisset, illa potius pertineret ad spiritualem potestatem, quam ad jurisdictionem temporaliū principum. Hanc enim Christus neque immutavit, neque auxit; ostensum autem est, Ecclesiam non habere spiritualem potestatem in hos infideles; quoad hoc enim eadem ratio est de infidelibus temporaliter subditis, vel non subditis principibus christianis. Et per hæc satis responsum est fundamentis Scoti.

6. *Secunda conclusio.* — Dico secundo: si infideles et eorum filii, sint servi christianorum, licite possunt auctoritate dominorum filii a parentibus separari, et baptizari, invititis parentibus. Hæc est sententia Durandi, quam non existimo esse contra D. Thom., qui nihil dixit expresse de hoc speciali casu; quin potius hic, art. 10, cum in 2 argumento objecisset, filios Judæorum posse baptizari, quia Judæi sunt servi christianorum, in solutione respondet, non esse proprie servos servitute pœnali contraria libertati, sed solum esse subjectos servitute civili; et eodem modo respondet 2. 2, quæst. 10, art. 12, ad 3, in qua responsione significat, si Judæi essent vere servi, fore, ut eorum filii baptizari possent

ipsis invititis. Atque ita doctrinam hanc ex parte admittunt Cajet. et Soto, et alii ex recentioribus Thomistis, quamvis non in omnibus consequenter loquantur, ut ostendimus.

7. *Primum notabile.* — Primo igitur, ut conclusionem probemus, supponendum est, posse dominum suo arbitrio separare filium servum a patre etiam servo, absque ulla injustitia, ex vi potestatis et juris quod habet ratione domini. Probatur, quia servitus jure gentium hoc modo introducta est, ut dominus possit servum vendere, aut donare, aut quo voluerit, mittere. Ergo sicut hoc potest facere circa parentem, non expectato filii consensu, ita potest idem facere circa filium contra voluntatem patris. Antecedens constat ex communi consensu omnium gentium. Et ratio sumenda est ex ipso titulo justitiæ, in quo hæc servitus fundata est. Est enim veluti justa pœna ex justo bello introducta, in quo ad servandam vitam captivorum, illa ne priventur, privantur libertate et rebus suis. Nam hæc omnia minoris æstimantur, quam vita. Quando ergo pater et filius in captivitatem et servitute deveniunt, omnino constituuntur sub potestate domini, ut eis uti possit, tanquam rebus suis, modo rationabili et hominibus accommodato. Sicut ergo ex vi hujus domini potest privare servum dominio aliarum rerum, ita etiam filii sui; potest ergo unum ab alio separare vel per venditionem, vel per donationem. Quod a posteriori confirmatur et declaratur, quoniam alias, si miles in bello patrem cum quinque aut sex filiis caperet, nec posset unum sine alio captivare, nec vendere et consequenter si nec posset omnes alere, neque uni et eidem omnes dividere, cogeretur omnes libertate donare; quod nullus faceret, ut existimo; neque est, cur id facere obligetur. Denique usus ipse satis hanc conclusionem confirmat, et declarat hoc dominium in servos hoc modo et cum tota hac potestate esse introductum. Quocirca in hoc puncto nulla fere est inter doctores controversia; quamvis Capreol., in 4, d. 5, q. 4, art. 3, ad argumenta Durandi contra primam conclusionem, hoc in dubium revocet sine ulla probatione, quæ difficultatem ingerat. Nam licet verum sit, non posse dominum uti servo ad omnem usum pro suo arbitrio, quando in illo usu est aliquid contrarium alteri naturali legi seu honestati, qua ratione non potest illum interficere et similia, tamen in hoc usu separandi filium a patre, intrinsece nulla est turpitudine; nec jus, quod pater habet in filium,

tam est intrinsecum, ut non possit illo privari in pœnam, jure servitutis; majus enim est jus propriæ libertatis, et tamen eo privatur.

8. *Secundum notabile.* — Secundo est certum apud omnes, si filius servi infidelis semel separatur a patre, posse baptizari, invito patre. Diximus enim in præcedenti sectione, etiam in filiis infidelium non subditorum christianis, hoc verum habere, quod si omnino sint separati a parentibus, baptizari possint, quia non debent carere omni auxilio, et tunc non possunt gubernari voluntate parentum; ergo multo magis hoc erit verum de subditis et servis. Sed assignari potest differentia; nam illud prius est verum, quando filii ita sunt destituti parentibus, ut vel omnino sint ignoti, vel nullus ad eos pateat aditus, ut eorum consensus postuletur, vel certe adeo esset difficilis, ut moraliter non possit vel non expediat, qui hujusmodi filium proxime gubernat, pendere a parentis voluntate et arbitrio. Quod si hoc solum de his servis infidelibus diceretur, nulla esset difficultas. Aliquid ergo amplius et specialius docere intendimus. Fieri enim potest, ut filius re ipsa sit et convictus et loco satis a patre sejunctus absque ulla spe redeundi ad consortium ejus, et nihilominus parentes pueri esse cognitos his, sub quorum cura existit, et quod etiam facile sit parentes consulere, an velint filium baptizari. Et in eo casu indicat Capreolus, quantumcumque hi parvuli vendantur et ad remotas regiones transferantur, non esse scienter contra voluntatem parentum baptizandos ante usum rationis, et hoc etiam docuit Soto hic, quamvis non satis constans in dictis suis videatur; prius enim dicit, falsum esse quod Capreolus ait, filium separatum a patre servo non posse baptizari, illo invito, et tamen postea dicit, quando parentes consuli possunt, non posse baptizari, eis invititis; cum tamen hoc ipsum sit, quod Capreolus docuit. Neque enim ille negat, quando consuli non possunt parentes, posse filios baptizari, eis invititis, sed potius id expresse affirmat paulo inferius. Ego tamen existimo, in eo casu posse legitime baptizari, neque oportere parentes consulere, nec facultatem ab eis petere; quandoquidem, licet eam non concedant, baptizari possunt. Ratio est, quia dominus succedit loco parentis, et ad eum pertinet jus et cura gubernandi servum suum, sicut ad eum spectat providere illi de necessariis ad vitam corporalem. Quamvis enim hæc cura et obligatio non sit parenti ablata, quia naturalis conjunctio

semper manet, nihilominus tamen etiam est domino acquisita, et potest illa uti absque ulla dependentia a parentibus, quandoquidem jus illorum in dominum quodammodo translatum est, seu magis est illi subordinatum, quam e contrario. Supponimus enim, justo titulo filium esse in servitute redactum, vel solum ut separatum a patre, vel simul cum illo. Et confirmari hoc potest ex 4 Machab. 2, ubi Mathathias omnes parvulos incircumcisos in bello captos circumcidi fecit. Nam quamvis Lyra dicat, solum id fecisse in filiis Judæorum, tamen Scriptura absolute loquitur; et quamvis Soto dicat, si Mathathias id fecit in filiis gentium, fecisse quidem secundum solum, non tamen secundum scientiam, hoc tamen de insigni et sanctissimo viro non recte dictum videtur. Melius ergo dicitur, cum illi jam essent jure belli in servitute redacti et a parentibus separati, jure circumcidi potuisse, sicut nos etiam nunc jure baptizamus filios Saracenorum in bello captos.

9. Quocirca citata opinio Capreoli de consulendis parentibus, ad summum procedere posset, quando infans injuste esset captus et separatus a patre; tunc enim consulendus esset pater, si fieri posset, vel (ut melius dicamus) potius esset filius restituendus parenti, si fieri posset, quam baptizandus, quia cum actio fuerit injuriosa, nullum jus ex vi illius ablatum est patri per se loquendo; neque ille dici potest filius servi, de quo agimus. Quando vero justa ac legitima servitus contracta est, dominus acquisivit jus in servum, justeque privavit parentem jure suo. Neque obstat, quod Capreolus objicit, hoc scilicet jus esse naturale patri, et ideo non posse illo privari. Nam duobus modis potest intelligi hoc jus esse naturale: primo, quia habet originem ab ipsa natura; alio modo, quia ipsum jus naturæ obligat, ut nullus possit hoc jus usurpare præter parentem, aut ipsum illo privare. Prior sensus est verus; posterior autem falsus, quia non omne jus, quod a natura ducit originem, est immutabile; tolli enim potest, vel invite, in pœnam justam, vel voluntarie, ut cum aliquis se vendit in servum, et se privat jure libertatis sibi a natura concessio; sic ergo in præsentibus dicendum est, quia nulla est ratio specialis, propter quam hoc jus sit immutabilius, quam reliqua.

10. *Tertium notabile.* — Tertio ex duobus principiis positus sequitur, posse dominum hæc speciali intentione et fine vendere ser-